



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Monasterium & Congregatio Bursfeldensis in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

atque in regno successor Alexander fatigro
imposito perfecit, multisque prædijs locu-
pletavit; Edgarus anno Christi 1109. & re-
gni sui nono vivere desijt; Dunfermelini se-
pulturæ traditus.

1109.

In Nouo Castro *Dauid* I. eò nomine Rex
duo monasteria exstruxit, vnum ordinis S. Be-
nedicti, alterum ordinis Præmonstratensis.
Hæc tradit Io. Lesleus lib. VI. de rebus Sco-
torum.

CAPVT LXXXII.

*Michaëlis campus, Germanicè Michels-
felt.*

Monasterium istud generis nobilitate
conspicuis destinatum circa annum
Christi 1119. excitauit *Otho VIII.* Epi-
scopus Bambergensis & Pomeranorum Apo-
stolus, vt ex illius diplomate constat, quod
Bruschius recitat in Chronologia monaste-
riorum Germaniæ.

1119.

*Monasterium & Congregatio Bursfeldensis
in Germania.*

Anno 1426. quò Constantiæ in Germa-
nia Synodus est celebrata, Capituli, vt
loquuntur seu Congregationis Bursfeldensis
reformatio sumpsit exordium. Huius auctor

Y

fuit

fuit *Ioannes Rodius*, Abbas coenobij S. Matthiae apud Treueros, qui generalis ordinis Visitator à Constantiensi Synodo constitutus, se ipsum in primis ac monasterium suum reformauit, & decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pontifice impetrauit. Inter cetera vero ordinis huius monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxoniae coenobium, Reformationis istius decreta primum suscepit, & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxoniae monasteria deriuauit. Mortuo deinde Ioanne Rodio, *Ioannes Hagensis*, Abbas Bursfeldensis, qui in monasterijs aliquot veterem disciplinam iam instaurarat, agente Iacobo Treuerensi Archiepiscopo, successor illi datus est. Sed cum nollet pauperculum Bursfeldense suum coenobium relinquere, alius in Rodij locum, vè generalis Reformator est successus; sed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus istis in Germaniam venit *Nicolaus Cusanus* Cardinalis & Sedis Apostolicae Legatus, qui Ioannem Hagensem, pietatis opinione celebrè, ad se euocatam, generalem Ord. Reformatorem pronuntiauit. Quo factum est; vt idem Cusanus conuentum, seu Capitalum, vt vocant, annum pro cōseruatione Reformationis institueret, Praesidis seu Praefecti domicilium è S. Matthiae Treuerensis coenobio Bursfeldiā transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda. Huic porro Bursfeldensi Congregationi pleraque Germa-

nia

niæ ac Gallia Belgicæ monasteria sese olim
aggregarunt: quæ Congregatio siue societas
hodieque perdurat.

CAPVT LXXXIII.
OSTBROVCANVM

*Cœnobium, milliari vno ab Ultraiecto, Germaniæ
inferioris opido.*

ANno Domini millesimo centesimo vi-
cesimo secundo, Godebaldus Episco-
pus Traiectensis XXIV. superædificauit in pa-
lustris solitudine de Oestbroeck cœnobium
monachorum, & monialium in honore san-
ctæ Mariæ perpetuæ Virginis, & sancti Lau-
rentij pretiosi martyris. Quod monasterium
propter arctam religionis obseruantiam, di-
cebatur olim Carcer Ordinis. Ibidem enim
congregatio maxima fuit, & rigor monasticæ
disciplinæ secundum regulam S. Benedicti
distriictissimè pullulauit.

An. 1122.

Et infra: Anno millesimo centesimo vicesi-
mo octauo, Godebaldus Episcopus morbo
grauatus, in Oestbroeck habitum religionis
accepit postquam Traiectensem Ecclesiam
annis XV. in pace rexisset. Qui demùm II.
Idus Nouembris defunctus est, & in eodem
monasterio satis honorificè sepultus. Ita
Ioannes Becanus in *manuscripto Ultraiectensis
Ecclesiæ Chronico*. Eadem narrat Ioannes Leida-
nus in *suo manuscripto Hollandiæ Chronico*: vult
tamen, anno millesimo centesimo vicesimo primo,

An. 1128.